

decimarum obligatione fuisse solutos? Non debet in primis ipsis fraus & dolus parere emolumentum. Deinde quando non dominium, non juris possessionem ad se abjecerant, & dominii, & possessionis causa tenebantur; & quamquam fructus in specie non perciperent ipsi, percipiebant tamen aliorum, seu colonorum, aut conductorum ministerio; nihil autem intererat, an fructus ipsos perciperent, an quod pretium ex fructibus redigeretur. Profecto quod legitur in dicto cap. 16. & 32. de decimis, ad hujusmodi species pertinet. In dicto cap. 16. agitur de Judæis non prædiorum dominis, sed colonis, ut indicant verba illa *colunt, possessiones*, proptereaque cum Judæi Christianorum nomine possiderent, & colerent, mirum esse non debet, si nomine etiam Christianorum dominorum decimas luere, argumento cap. 24. eod. tit. In dicto cap. 32. perspicua hujusmodi species est; agitur enim de iis prædiorum possessoribus Christianis, qui cum decimas luere tenerentur, aliis non similiter obligatis prædia excolenda tradebant, ut Ecclesias decimis defraudarent. Quodque ad rem facit, & mirifice comprobat opinionem meam, ibidem Lateranense Concilium non mandat colonis, ut decimas luant, sed ut domini taliter prædia excolenda committant, ut absque contradictione decimas Ecclesiis persolvant. Argumentum evidens est, Lateranenses Patres non credidisse, decimarum prædialium onus esse reale, & in quoscumque possessores unâ cum prædiis ipsis transferri. Imò & passim id sibi universi persuadebant, quando dignoscuntur, ideo devenire voluisse plures ad tradenda prædia aliis similiter non obligatis excolenda, ut sic decimæ ab Ecclesia non peterentur, quod sanè suffugium sine ulla causa extitisset, si reale esse onus decimarum crederetur. Quod autem traditur in dicto cap. 18. de usuris, singulare est, & poenam sapit, non meram decimarum obligationem. Agitur ibi de Judæis, qui ob fre-

quentes, & immodicas usuras à Christianis extortas, universas prope modum Christianorum facultates, prædia & domos occupaverant. Duplex tunc quasi furtum videbatur admissum. Primum adversus Christianos generaliter. Alterum adversus Ecclesiam, quando inde Ecclesia decimas omnes prædiales amiserat. Igitur Lateranense Concilium voluit primum constituere, ut tenerentur Judæi ad restitutionem usurarum perceptarum, gratia fidelium in universum, item tenerentur ad præstationem decimarum, quibus ferè omninò destituebatur Ecclesia ob immodicas Judæorum usurpationes. Generaliter autem inde deducitur, tanquam onus reale habitas non fuisse decimas, secus etiam sine ejus poenæ adjectione Judæi etiam extra casum immodicarum usurpationum obligati fuissent. Fateor tamen, alicubi singularibus statutis factum esse, ut non aliter admittantur in certas provincias Judæi, aut non aliter domos & prædia acquirere valeant admissi, nisi domorum & prædiorum olim à Christianis possessorum, & decimis obnoxiorum, decimas ipsi luant, quò pertinet, quod dicitur in cap. 17. de excess. Prælat., in quo conquerebantur religiosi viri, etiam de propriis habitaculis decimas peti, *sicuti de domibus Judæorum*. Nihil sanè est, cur his statutis, & conventionibus non pareatur. At nihil id habet cum proposita disputatione commune; quemadmodum etiam in nonnullis locis viget statutum, ut Judæi luant Parochis, in quorum Parochiarum finibus degunt, certas pensationes, quibus compensetur damnum Parochorum in iis, quæ Parochi lucrarentur causa oblationum, & occasione Sacramentorum, aut Sacramentalium, si in habitaculis Judæis destinatis degerent Christiani, quod vulgò *Pretaticum* appellant; quin tamen exinde in generalem disciplinam habeat, qua credatur, Judæos teneri ad oblationes personales.

In altera definitione dixi, eos omnes decimis obstringi, qui sunt in Chris-

tia-

tiana communione, dummodò redditum non sint aut legitima consuetudine, aut privilegio immunes. Si consuetudo generalis sit in Parochia, in Diocesi, in Provincia, nihil amplius superest dubitationis, quin lex decimarum in ea omninò cessaverit. Quid verò, si consuetudo sit certarum tantummodò personarum, aut rerum? Ea dicenda sunt de hujusmodi consuetudine, quæ de singulari obtento privilegio mox dicam. De Clericis hic amplius non loquor. Si enim isti beneficio fruuntur, de fructibus beneficii jure communi decimas minimè luunt, cap. 2. de decimis; quid enim aliud esset decimas ex prædiis Ecclesiasticis pendi, quam decimas ab Ecclesia Ecclesiæ præstari? Quòd si Clerici bona patrimonialia possideant, etiam ratione istorum habebuntur immunes, argumento dicti cap. 2., dummodò cum Antonio Augustino emendetur, uti superius traditum est, juncto præsertim cap. 8. de decimis in prima collectione. Respectu illorum, qui Clerici non sunt privilegium præ cæteris quemquam reddit à præstatione decimarum immunem, cap. 3. de decimis, cap. 1. de præscript. in 6. Huc tamen probandum est, ut & cætera jura singularia, nam probatione deficiente, decimis locus fiet. Inde factum est, ut si ageretur de solo inculto, ex quo propterea nullæ decimæ olim præstabantur, quia nulli ex eo fructus redigerentur, & deinde illud cultura fructiferum reddatur, quod *Novalia* appellant, ex eo debeantur; non enim singulari privilegio locus ille exemptus dici potest, cap. 4. 10. 12. 27. & 29. de decimis, cap. 2. §. ult. eod. in 6., Clement. 1. eod. tit. Monachi olim, cum non essent adhuc exempti ab Episcopi jurisdictione, decimas prædiales viris Ecclesiasticis luebant. At obtentis exemptionum privilegiis, neque statim omninò obtinuerunt à præstandis decimis immunitatem. Tantum à personalibus decimis liberi esse cœperunt; non à realibus, cap. 4. 8. 11. 12. de decimis, nisi in iis prædiis, quæ à prima Monas-

Tom. I.

terii fundatione concessa fuissent Monasterio, & quæ manu propria à Monachis excolerentur, nisi item in iis domibus, quas ipsi habitarent, cap. 10. 11. & 12. de decimis, Clement. 1. eod., cap. 17. de excess. Prælat. Ad avertendas quas-cumque contentiones, quæ in his causis emergunt, suaserunt Pontifices Maximi, ut amicablem omnem controversia componeretur, dicto cap. 8. in fine, & cap. 34. de decimis; eamque ob rem hodie pactionibus ferè ubique omnibus quæstionibus finis impositus est, nisi ubi aut amplissimum privilegium, aut generalis usus ab omni decimarum præstatione Monachos liberaverit. Id ipsum, quod dictum est de Monachis, ad plura loca religiosa protractum est. Olim quidem prædia locorum religiosorum regulariter decimis suberant: paulatim privilegiis obtentis factum, ut de habitaculis in communi viventium fidelium nihil penderetur, imò nec de hortis contiguis, & animalibus, quæ ibidem nutriebantur, cap. 2. de Eccles. ædific., paulatim aut compositione, aut consuetudine in vecta à generali lege vel in totum, vel in parte recessum est.

Quod de decimis dictum est, eas jure ordinario jam à pluribus sæculis ad Parochos pertinere, id ipsum dicendum est de oblationibus ex fidelium liberalitate, vel actu inter vivos, vel ultima voluntate collatis. Sanè oblationum nomine hoc in loco intelligo, non illas, quæ singularis alicujus Clerici, aut Episcopi gratia fiunt, hæ enim instar cæterarum donationum donatario cedunt juxta mentem donantis, & conditionem à donatore adpositam, cap. 15. de testament., sed intelligo, quidquid Deo donatum est, vel Ecclesiæ, vel etiam sacræ cuidam Imagini palàm expositæ, can. 10. & 11. caus. 13. quæst. 2. cap. 29. de verb. signif. Iestas autem universas Parochis cedere receptum est, can. 15. caus. 10. quæst. 1., cap. 9. de his, quæ fiunt à Prælati, & quidem non solum, si in Ecclesia ipsa Parochiali, fiant, sed etiam si

Kk

fiant

fiant in loco sacro, aut religioso extra Parochialem Ecclesiam sito, dummodò intra Parochiæ fines. Tantùm ad regulam hanc generalem exceptio est, si vel expressa, vel præsumpta voluntas offerentium refragetur, quod contingeret, si offerentes donarent templo, altari, imagini extra Parochiam sitæ, ut cultior adjectis ornamentis fieret, ut muri restaurarentur, aut similem ob causam, aut si offerentes Xenodochio donarent, ut pauperes ibidem constituti commodius alerentur. Tunc enim *Æditui* Ecclesiolarum, aut Custodes loci religiosi, vel pii oblationes reciperent, & juxta offerentium votum impenderent, tùm demùm hoc ipso officio in Parochi fidem referendo, cùm nulli *Æditui* vel Custodes loci sacri, pii, aut religiosi existerent. Planè hæc oblationum disciplina disciplinam decimarum longè præcessit, atque à temporibus ipsis Apostolorum originem ducit. Duo olim erat oblationum genera, quarum aliæ ad altare fiebant, vel in corbona quadam separata, quæ in Ecclesia erat, ad id constructa reponerentur, aliæ ad domum Episcopi defererentur. In Ecclesia, vel ad altare, vel ad corbonam, tantùm offerri solebat panis, & vinum, oleum, incensum, spicæ, & uvæ, quæ omnia à Sacerdote benedicebantur, & ex quibus portio panis, & vini desumebatur ad conficiendam Eucharistiam, eandemque clero, & populo ministrandam; cætera in templi, aut Clericorum usum reservabantur, quò pertinet vesti-

CONCLUSIO.

Amplissimam jurisdictionis ac potestatis Ecclesiasticæ materiem paucis complexus mihi videor universam; qua in re non singularem tractationem dirimendis tantùm propositis quæstionibus utilem concinnatam volui, sed eam, quæ subsequentibus juris sacri partibus veluti lucem præferret. Id postulabat in primis rei gerendæ natura; quotquot enim sunt legum Ecclesiasticarum argumenta, in

gium illud, quod etiam hodie superest in Canone Missæ ubi Sacerdos ante dominicalem Orationem ait: *Per quem hæc omnia semper bona creas; sanctificas, vivificas, benedixis, & præstas nobis*, quæ verba ad benedicendas eas omnes oblationes pertinebant. Præterea ad altare in solemnitate Paschali offerebatur alicubi lac, & mel, quæ Catechumenis recens baptizatis tribuebantur, Cyprianus lib. de oper. & elemos., Tertulianus lib. de exhortat. castit. cap. 7., Concilium Matisconense II. anni 585. can. 4., canone 3. & 4. ex vulgo Apostolicis. Universæ autem oblationes (quæ sanè tunc erant in obligatione, cùm aliter non prospiceretur necessitatis cleri) in potestatem Episcopi conferebantur, eas inter Clericos tributuri. At cùm cœpit obligatio decimarum induci, cœperunt spontè oblationes ex fidelium pietate conferri, eademque erat Episcopi potestas in administratione tùm decimarum, tùm oblationum. Quis inde non videt, quum jus decimarum succedentibus sæculis factum est proprium, & ordinarium Parochorum, simili ratione fieri cœpisse proprias Parochorum oblationes? Et primò quidem Parochi eas sibi vindicarunt, salva canonica portione, quæ Episcopo debebatur; deinde etiam canonica portio remissa ab Episcopis fuit gratia Parochorum; unde concludi potest ad Parochos harum jura spectare, nisi singulare jus gratia alterius inductum fuisse allegetur ac comprobetur.

quibus mihi versandum est, ea sanè singula in potestate Sacerdotum fundamentum habent, in quo innituntur, & quo non satis explorato, non satis illa perspecta in sua causa fieri possunt. Deinde id effeci industria, dum talem methodum mihi incedendam, persequendamque proposui, qua non tam speciales, quæ emergere solent, quæstiones prodita, prout res incideret, canonum auctoritate dirimerem, quàm prin-

principia generalia constituerem, ex quibus quæstionum ipsarum emergentium diremptio ut plurimum sponte sua dimanaret. Et quidem dum id conatus sum, experiri necessariò, debui graviores difficultates, quando usu me docente novi semper nihil esse laboriosius, quam rerum causas, origines, ac principia generalia in imò explorare, pendere, atque in aperto exhibere. Exinde autem, si defecisse in aliquibus vdear, veniam mihi facilem datum iri confido; sanius sapientium, potissimum autem Ecclesiæ judicio, & me, & meas lucubrationes omnes lubentissimè subjiciens; quamquam

enim is sim, qui plura penitus rimari voluerim, fortè etiam meis primum studiis aliqua è tenebris, quibus jacebant, eruere; qui præterea curaverim, ut nihil contra definitiones Ecclesiæ mihi compertas scriberem, imò, ut ad istas omnia pro modulo ingenii exigerem, satagerim; non tamen tantam de me, meisque viribus fiduciam habeo, ut veritatem, dum contra saperent alii, aut contra Ecclesia doceret, ipse propius attigisse mihi persuadeam, sed è contrario tunc nossem, ac candidè profiterer, me à veritate quam longissimè recessisse.



INDEX,

QUO EXHIBENTUR ORDO, ET SINGULARIA ARGUMENTA TRACTATIONIS

*De potioribus Ecclesiae dignitatibus, & officiis, seu
Commentariorum*

IN PRIMUM, ET SECUNDUM LIBRUM DECRETALIUM.

*P*raefatiuncula singularis, & partitio Tractationis. pag. 1.

DISSERTATIO PRIMA, ET PROEMIALIS.

De Ecclesiastica jurisdictione, quae generaliter potioribus Ecclesiae dignitatibus, & officiis cohaeret. pag. 3.

- CAP. I. *Quid sit Ecclesiastica jurisdictio.* pag. 3.
 CAP. II. *De variis jurisdictionis Ecclesiasticae partitionibus.* pag. 11.
 CAP. III. *Generalia quaedam traduntur, quibus demonstratur, ab Ecclesia veram jurisdictionem exerceri.* pag. 19.
 CAP. IV. *Quomodo Ecclesia in communi jurisdictionem exercent.* pag. 26.
 CAP. V. *Per quas singulares Personas, seu dignitates, vel officia, Ecclesiastica jurisdictio exercentur?* pag. 34.

DISSERTATIO SECUNDA.

De Pontifice Maximo. pag. 37.

- CAP. I. *De Pontificis Maximi dignitate, auctoritate, ac jurisdictione in Ecclesia universa.* pag. 37.
 CAP. II. *Quibus modis jurisdictionem suam per se Romanus Antistes exercent.* pag. 46.
 CAP. III. *Quibus modis jurisdictionem suam per Vicarios, aut instar Vicariorum constitutos in Romana Curia Pontifex Maximus exercent.* pag. 62.
 CAP. IV. *Quibus modis Pontifex Maximus per Vicarios extra urbem constitutos jurisdictionem suam exercent.* pag. 69.
 CAP. V.

CAP. V. *De Sede Pontificis Maximi vacante, & Successoris electione.* pag. 81.

DISSERTATIO TERTIA.

De Patriarchis, Primatibus, & Archiepiscopis. pag. 89.

- CAP. I. *De origine, & ratione harum dignitatum.* pag. 89.
 CAP. II. *De potestate Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum in subditos Antistites.* pag. 94.
 CAP. III. *De potestate Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum in Ecclesias, & subditos Suffraganeorum.* pag. 99.
 CAP. IV. *De Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum insignibus.* pag. 108.

DISSERTATIO QUARTA.

De Episcopis. pag. 115.

- CAP. I. *De ordine Episcopali.* pag. 115.
 CAP. II. *De auctoritate Episcoporum generaliter.* pag. 119.
 CAP. III. *De auctoritate Episcoporum in Ecclesias.* pag. 132.
 CAP. IV. *De auctoritate Episcoporum in Clericos dioecesanos.* pag. 138.
 CAP. V. *De auctoritate Episcoporum in Monachos, aliosve Regulares.* pag. 145.
 CAP. VI. *De auctoritate Episcoporum in Sanctimonialia.* pag. 156.
 CAP. VII. *De auctoritate Episcoporum in opera pia ac religiosa.* pag. 162.
 CAP. VIII. *De electione, vel postulatione, confirmatione, vel admissione, consecratione, & translatione Episcoporum.* pag. 178.

DISSERTATIO QUINTA.

De Praelatis Episcopo inferioribus, vel Episcopalem nactis, vel quasi Episcopalem jurisdictionem. pag. 190.

- CAP. I. *De Vicariis Episcoporum.* pag. 190.
 CAP. II. *De Capitulis, seu Collegiis Ecclesiarum Cathedralium.* pag. 198.
 CAP. III. *De Praelatis non Episcopis quasi Episcopalem jurisdictionem exercentibus.* pag. 209.

DISSERTATIO SEXTA.

De Parochis, eorumque officio ac potestate. pag. 223.

- CAP. I. *De origine, & institutione Parochorum, item de eorundem officio ac potestate generaliter.* pag. 223.
 CAP. II.

- CAP. II. *De potestate Parochorum in administratione Sacramentorum, & eorum, quæ prope ad Sacramenta accedunt, Sacramentalium.* pag. 228.
 CAP. III. *De potestate Parochorum ratione habita funerum, & quæ funeribus cohærent, adjutorum.* pag. 230.
 CAP. IV. *De officiis, ac ministeriis, quibus Parochi cum publica utilitate fideles suæ curæ commendatos regere valeant.* pag. 244.
 CAP. V. ET POSTREMUM. *De jure Parochorum in oblationibus in Ecclesiam collatis, aut ex debito, aut ex liberalitate fidelium in Parochia consistentium.* pag. 247.
 CONCLUSIO. pag. 258.

DISSERTATIO QUARTA.



DISSERTATIO QUINTA.

DISSERTATIO SEXTA.

CAROLI SEBASTIANI BERARDI

PRESBYTERI UNELIENSIS,

DE REBUS AD CANONUM SCIENTIAM PERTINENTIBUS

CONSULTORIS REGII,

ET IN TAURINENSI ATHENÆO

DECRETALIUM PROFESSORIS

COMMENTARIA

IN JUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM.

TOMUS SECUNDUS.



MATRITI:

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI DE URRUTIA.

ANNO MDCCXC.

*Prostant apud Viduam Bernardi Alverà, & Filios, in via vulgò
 Carrera de S. Gerónimo.*